

Intellectus huius tabulæ regionis.

RAdices mediorum motuum, quas in principio in tabulas relatas, offendis, candide lector, scies ad uerum meridianum inclytæ ciuitatis Norimbergæ compositas esse. Quod si tamen ad alterius uel ciuitatis uel regionis meridianum habere uolueris, quærendum erit ciuitatis tuæ nomen in hac tabula, si tamen ibi est adscriptum: Quod si quæsitæ ciuitatis nomen minime in tabula descriptum fuerit uicinior locus eligendus erit & numerum horarum, si quæ sint, uel etiam minorum sub titulo tempus, repertum, adde uel subtrahe iuxta præcedentiam literarum exigentiam à tempore coniunctionis, oppositionis, uel etiam aspectus Solis & Lunæ. Hac etenim uia facile reduces illud tempus ad meridianum quæ situm est te loci, ciuitatis uel regionis. Pro radice uero motus reducenda ad alium meridianum, ita operare. Quære ex tabulis motuum, planetæ tui motum in horis & minutis temporis, quod ex tabula hac regionum iuxta nomen tui loci accepisti: & motum tot horarum, uel etiam minorum, à radice Norimbergensi minue: si circa eum locum in columnula minorum Lunæ M literam inuenies: quoniam talis locus orientalis est Norimbergæ, uel adde eundem motum horarum uel minorum radici Norimbergen. si circa eum in columnula Lunæ litera A ponitur: quoniam talis locus occidentalis est Norimbergæ. Et tunc illud quod remanet, seu prouenit post additionem uel subtractionem, est radix motus illius planetæ, ad illam tuam habitationem. Hæc res & si in Ephemeridibus in locis planetarum: ob eorum motus tarditatem: non obseruetur, propter modicam diuersitatem: in Luna tamen hoc idem negligendum non erit. Quære si locum Lunæ uerum ad meridianum Norimbergensem habes, uellesq; locum eius uerum, non mutata radice: ad meridianum tuæ habitationis reducere, Accipe in tabula hac regionum in columnula Lunæ, iuxta locum tuæ habitationis minuta cum nota A uel M, quæ adde uel minue, iuxta literarum exigentiam, à loco Lunæ uero super meridiano Norimbergensi collecto, & habebis locum Lunæ ad meridianum tuum. Causa autem quare tempus, quod est inter duos meridianos, debet addi pro ciuitate orientali, & subtrahi pro ciuitate occidentali, & medij motus in tanto tempore debent addi pro occidentali, & subtrahi pro orientali est ista. Quia in tanto tempore quantum est inter duos meridianos, prius est meridies, & quæcunq; alia hora in ciuitate orientali quàm occidentali, ut exempli causa: si tale tempus esset, una hora, tunc quando in ciuitate orientali esset hora prima tunc in occidentali esset meridies, & quando in orientali esset hora secunda, tunc in occidentali esset hora prima & è conuerso. Et ideo si habetur pro ciuitate occidentali coniunctio in meridie, tunc in orientali, erit hora prima. Et si habetur in occidentali hora prima, tunc in orientali est hora secunda. Addatur igitur semper una hora ad coniunctionem inuentam ad ciuitatem occidentaliorem. & habebitur tem

*Ab ead. Assandus
Norimberg. Tabula
J. Caroli F. J. C.*